



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Quæ accidentia poßint esse principia agendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

ne decima sexta, quaestione tertia: Scotus quaestione vnica, & in quartum, distinctione quadragesima quinta, quaestione tertia. Durando in primum, distinctione secunda, quaestione secunda, & in secundum distinctione tertia, quaestione quinta, Marfilio in primum, quaestione septima, articulo septimo, & in secundum, quaestio. decima septima, articulo secundo, & aliis Philosophis in secundum de Anima, cum quibus ibi agendum est, & de angelis infra non nihil dicemus. Solum nunc aduerto, esse differentiam inter Scotum, ac Gregorium, & sequaces, quod Gregorius nullam omnino ponit distinctionem in re inter formas & facultates earum. Vnde fit, vt cõcedat animam per idem principium proximum intelligere, Velle, videre, audire, &c. quod satis absurdum est. Scotus autem ad hoc vitandum ponit distinctionem formalem inter potentias & formas. Sed si per distinctionem formalem intelligat Scotus distinctionem, quæ in re non fit actu, sed ad summum virute, & fundamentaliter, ac mente perficiatur, solum in modo loquendi differt à Gregorio & aliis: si vero intelligat veram distinctionem actualem, quæ in re fit, saltem modalem, primum non contradicit conclusioni positæ, quia modus ille accidens quoddam erit, quod satis est ad veritatem dictæ assertionis. Deinde immerito negat propriissimam distinctionem realem, nam, vt statim dicam, proxima difficultas operandi non est modus aliquis, sed aliqua propria entitas ac vera forma, & ideo si in re distinguitur à forma substantiali, non distinguitur vt modus, sed vt res, atq; adeo proprie realiter. Præsertim, quia si aliqua rationes sunt, quæ probent distinctionem in re, non minus probant distinctionem realem, quam modalem, & contrario, si rationes, quæ ab ipso & aliis sunt contra sententiam D. Thomæ essent alienius momenti, atque procederent contra distinctionem modalem.

XXI.

Non tamen cenſeo expedire nunc illa argumenta figillatim proponere, tum quia mihi non videntur difficilia, tum etiam, quia à Caiet. & aliis ſufficienter ſoluuntur, tum deniq; quia omnia fere eo tendunt, vt probent, ſine neceſſitate non debere res multiplicari: hic autem non interuenire ſufficientem neceſſitatem probant, vel ſoluendo rationes D. Thomæ, vel quia ſubſtantia, eum ſit nobilior, ſufficere poterit ad id, propter quod efficiendum accidens adiungitur. Et peculiariter virgere poteſt contra nos ratio ſumpta ex priori aſſertione: nam ſi potentia fluunt ex eſſentia per veram efficientiam: ergo continet eminenter ipſas potentias: ergo ſufficiens erit per ſe iplaſ efficere quicquid per potetias poteſt. Reſpondetur tamen ſufficientem neceſſitatem eſſe, vt ſubſtantia creata habeat principia accommodata accidentalibus actionibus, quæ neceſſitas ſufficienter probatur inductionibus & rationibus ſuprà factis, neq; enim de omnibus rebus demonſtratio fieri poteſt. Nec refert, quod ſubſtantia ſit perfectior, tum quia non ſemper quod perfectius eſt, poteſt efficere quicquid poteſt res minus perfecta, tum, etiam quia inde ad ſummum habetur, ſubſtantiam eſſe principale, ſeu radicale principium, nõ vero etiã proximum: plus autem eſt eſſe vtroq; modo principium, quam altero tantum. Quo ſenſu dicere etiam poſſumus, quid perfectius eſſe ſubſtantiam cum ſua potentia, quam ſolam. Denique etiam manus eſt perfectior, quam calamus, & tamen non poteſt ſcribere ſine calamo. Ad vltimam obiectionem primum occurrere poſſumus ſenſibili exemplo: nam aqua per ſuam formam eſt ſufficiens vt ab illa reſulter frigidity, & tamen ſine frigidity non eſt ſufficiens ad frigeſaciendum alios. Neganda eſt ergo conſequentia, & ratio reddi poteſt primò, quia virtus formæ, aut principii poteſt eſſe limitata, tum ad perfectionem proprii ſuppoſiti, tum ad talẽ modum actionis ſeu dimanationis, ſicut grauitas per ſe mouet ipſum graue, in quo

exiſtit, non aliud. Secundò, quia interdum formalis potetia ſeu facultas eſt ita accommodata actioni, vt non quilibet virtualis ſufficiat, vt intellectus agens, aut ſolus, aut cum phantaſmate virtualiter continet ſpeciem intelligibilem, & tamen non poſſunt per ſe concurrere ad intellectionem, ſed per ſpeciem quam efficiunt. Tertio & maximè, quia non cenſeo eſſentiam continere eminenter paſſiones, ſed tantum instrumentaliter: nam ideo, vt dixi, ille effectus tribuitur generanti: fieri autem poteſt, vt aliquid ſit aptum inſtrumentum ad efficiendum aliud, ſeu aliam facultatem, & non ad efficiendum immediatè actionem illius facultatis, vt in inſtrumentis aeris manifeſtè conſpicitur.

SECTIO IV.

Quæ accidentia poſſunt eſſe principia agendi.

Circa doctrinam ſuperioribus ſectionibus traditam, nonnulla breuiora dubia explicanda ſuperſunt. Primum eſt, quod in titulo huius ſectionis propoſitum eſt, quod poteſt vniuerſè intelligi, tam de actiuitate accidentium in ſubſtantiam, quam in alia accidentia, tamen quia accidens non efficit ſubſtantiam, niſi præſeua actione alicuius accidentis, vt dictum eſt, ideo tota quaſtio reuocari poteſt ad propriam efficientiam, quam accidentia habent in alia accidentia. Et hinc naſcitur ratio dubitandi, quia accidens dicitur eſſe proximum principium producendi accidens, vt ſit illi proportionatum: ergo tale oportebit eſſe accidens, quod eſt principium actionis, qualis eſt terminus actionis: erit ergo quantitas principium proximum efficiendi quantitatem, & vnum vbi, alterius vbi, &c. In contrarium autem eſt, quia ex communi Philoſophorum ſententia ſola qualitas, eſt principium proximum actionis, & nõ omnes qualitates, ſed aliquæ, cuius etiam ratio inueſtiganda eſt.

In hoc præmittenda eſt diſtinctio ſuprà poſita de actiuitate per naturalem reſultantiam, vel per propriam actionem, & ſupponendum, ſermonem eſſe tantum de hac poſteriori, quod pro tota diſputatione ſemel dictum ſit, quia illa reſultantia per modum vnius cum rei productione computatur, quod ſiquid ſingulare interdum circa illam notari poterit, non omitemus. In præſenti ergo, ſicut ſuprà diximus à ſubſtantia poſſe reſultare accidens, ita à quolibet accidente poterit reſultare aliud, vel realiter, vel ſaltè moraliter diſtinctum, ſi capax ſit talis proprietatis: ſic enim à quantitate reſultat figura, vel relatio & qualitatis, ſi eſt modus diſtinctus, & ab vna relatione, vt multi aiunt, poteſt reſultare alia, vt à paternitate ſimilitudo, &c. Et ratio eſt, quia vnaqueque eſſentia, qualiſcunq; ſit, poteſt eſſe principium ſuæ proprietatis intrinſecæ per naturalem reſultantiam eius.

De propria ergo efficientia accidentali dicendum eſt primò, ſolam qualitatem eſſe poſſe principium proximum eius. Hæc aſſertio primum probari poſſe teſt experientia: nam actiones omnes, quæ tendunt ad ſubſtantiam, fieri ſolent mediis qualitativis, vel primis, vel quæ eminenter contineant primas: actiones etiam vitales mediis qualitativis ſunt: facultas etiam mouendi localiter, ſemper eſt aliqua potentia de prædicamento qualitatis, adeo vt etiam ad motum proſectorum conſeant Philoſophi neceſſarium eſſe impetum impreſſum, qui ſit qualitas motiua. Secundò poteſt probari factò breui diſcurſu per cætera prædicamenta: quantitas enim non eſt productiua alterius quantitatis, vt experientia probat. Et ratio eſt primò, quia quantitas conſequitur materiam, & ideo imitatur naturam eius, eſtque ad recipiendum quod & non ad agendum. Secundò, quia quantitas re vera

non est per se producibilis de nouo, imo (iuxta nostram sententiam) neque concomitanter, ita vt, quæ antea non erat, nunc esse incipiat per actiones naturalium agentium, quia existimamus quantitatem esse eorum materiam. Sed solum fit, vt quantitas, quæ prius erat vnius rei simul cum materia incipiat esse alterius, vnde, si addatur rei præexistenti, fit augmentatio, vel propria vel impropria iuxta diuersos modos illius mutationis. Semper tamen fit illa mutatio, vel additio, præuia alteratione, & generatione, vel aggeratione, cuius principium proximè est qualitas, & ideo quantitas non habet actionem, cuius possit esse principium: termini enim quantitatis, qui interdum resultant facta diuisione continui, & c. magis sunt per naturalem resultantiam, quam per propriam efficientiam, de qua agimus.

IV. Rursus relatio ex omnium sententia non est actiua: & frequenter ratio reddi solet, quia relatio est minime entitatis: & à fortiori id confirmatur ex relationibus diuinis, quæ secundum propria non sunt actiue, vt Theologi tradunt, ex illo certo principio, quod actiones Trinitatis ad extra sunt indiuisæ. Sed omnis relatio diuinis, (de quibus propriam rationem esse existimo, quia solum sunt ad subsistendum, & subsistentia vt sic, non est principium agendi, sed tantum terminus naturæ, quæ est principium operandi, vt latius differitur in materia de Incarnatione, & Trinitate) de relationibus creatis ratio reddi potest iuxta probabilem opinionem, quia nullam rem addunt suo fundamento: vnde non sunt actiue, nisi ratione illius, quod si illud non sit actiuum, non est vnde habeant efficientiam: illud autem nunquam inuenitur actiuum, nisi quando est aliqua qualitas. Accedit, quod relatio, vt relatio, non potest esse principium efficiendi rem absolutam, cum sint diuersi ordinis, & sit ordo præpositus, vt res absoluta consequatur relationem. Neque etiam potest relatio facere relationem, quia relatio propria non per se fit, sed quatenus resultat posito fundamento & termino.

V. Vterius actio non est verè ac propriè principium agendi: nam, vt infra ostendemus, est ipsa causalitas agentis, & in hoc consistit eius ratio: causalitas autem non est principium agendi, sed est à principio, quod supponit. Item, si comparatur actio ad suum terminum, non est principium agendi illud, sed via ad illud, seu dependentia illius à suo principio: si vero comparatur ad res alias, non potest per se ipsam esse principium alicuius, quia nec potest esse principium alterius actionis: non enim naturaliter loquendo, ex actione sequitur actio immediate, sed ad summum ratione termini: neque etiam potest esse principium alterius termini, quia nullum principium pertingit terminum, nisi media actione. Et nulla actio potest excedere suum intrinsecum terminum, seu per se ipsam alium attingere, quia cum illo identificatur, & solum est quidam modus illius. Sed instabit aliquis de actionibus immanentibus, quæ interdum sunt principia efficiendi aliquid: multi enim dicunt intellectionem efficere verbum realiter distinctum: alij putant cognitionem efficienter causare amorem, vel delectationem, & veriora exempla sunt, quod actus immanentes effectiue causant habitus, & interdum vnus actus causat alium eiusdem potentie, vt assensus principiorum assensum conclusionis, & intentio finis electionem medij. Hallucinantur autem, qui putant in hac efficientia actum immanentem non se gerere, vt principium producendi aliquid aliud, sed esse ipsam productionem eius: repugnat enim actualem productionem esse rem distinctam à re producta: habitus autem est res distincta ab actu, quo producit. Item, quia si actus comparatur ad actum, ille, qui procedit ab alio, intrinsecè est actio immanens: ergo intrinsecè ac per se est productio quædam: ergo alius non est productio illius. Alij propter hoc argumentum limitant assertionem, vt ve-

rum habeat extra actiones immanentes. Sed neque est necessaria limitatio, neque aliqua illius ratio probabilis afferri potest: cur enim illuminatio etiam non erit actiua, aut effectus, qui à lumine proueniunt, non tribuentur ipsi illuminationi vt principio agendi. Verius ergo dicitur, sicut illuminatio habet suum proprium terminum intrinsecum, ad quem ipsa terminatur, hic autem est principium omnis vterioris actionis, si quæ est, quæ ad rem illuminatam consequatur: ita actiones immanentes, vt actiones sunt, habere suos intrinsecos terminos, qui sunt qualitates, & has esse principia proxima vterioris actionis, quando contingit subsequi: hoc autem ita esse, inferius probandum est latius disputando de actione: nunc autem solo argumento facto satis confirmatur, quomodo enim actus immanens esset principium producendi habitum, qui est vera qualitas, nisi ipse esset qualitas, aut cur in ipso habitu distinguimus rationem qualitatis ab intrinseca productione, seu dependentia, quæ fit ab ipso actu, & in eodem actu non distinguemus rationem qualitatis ab intrinseca dependentia vel actione, quæ fit à sua potentia, cum habitus & actus proportionaliter comparentur?

De prædicamento passionis nihil ferè addere oportet, quia, vt infra ostendam, actio & passio in re non distinguuntur actu, sed tantum fundamentaliter, vbi actio passionem habet adiunctam: vnde, si actio non est principium agendi, multò minus passio, & rationes factæ, & que applicari possunt. Solum potest obici de motu locali, qui est mutatio quædam & consequenter passio: nam passio, & mutatio latè sumpta, idem sunt: motus autem causat calorem, vnde videtur esse principium eius. Respondetur tamè, motum localem per se nihil efficere, sed esse tantum viam ad vbi, deseruit tamen ad actiones, vt conditio necessaria, vel utilis, aut ad applicandum principium agendi, aut ad remouenda impedimenta. Et hoc modo interdum per accidens causat calorem, interdum etiam frigus, de quo alias.

Præterea de loco seu vbi vt sic, constat non esse principium agendi: nam si locus sumatur pro superficie continente, eadem ratione non est principium agendi, quia neque quantitas, quia talis locus non est aliud in re ipsa à superficie, sed addit aliquem respectum, vel denominationem ad rem extrinsecam, quæ omnia nihil pertinent ad rationem agendi. Dixi autem sermonem esse de loco vt sic, seu quatenus locus est, quia quatenus est locus, vel naturalis, vel violentus, potest habere aliquam actionem in locatum, sed illam non habet, nisi ratione aliquarum qualitatum, vt ex Philosophia constat. Si vero loquamur de vbi, prout est intrinseca præsentia, seu modus locati, sic iam manifestum est, non esse principium alicuius actionis: est quidem interdum conditio agendi propter propinquitatem, vt postea dicemus, non tamen est ratio, seu principium agendi, vt experientia ipsa satis constat. Ratio autem non videtur esse alia, nisi quia ille tantum est quidam modus rei præsentis, & per se non affert propriam entitatem, & ideo neque actiuitatem per se confert. Item, quia non potest intelligi, quid per se agat, non enim potest aliud vbi producere in alio corpore: nam vbi non fit per se nisi per motum localem: vna autem res non mouet aliam localiter per suum vbi: sed vel impellendo, vel attrahendo, aut alio simili modo. Ex quo à fortiori constat, neque situm, neque tempus seu durationem, aut quando, neque habitum seu esse vestitum, esse principia agendi secundum eas rationes præcisas, secundum quas prædicamenta constituunt, quia situs in re non distinguitur ab vbi, nisi aliqua denominatione, relatione, aut figura: habitus vero solum addit denominationem quandam extrinsecam: tempus autem, & in inuicem duratio, vel non est aliquid in re distinctum à re, quæ durat, vel ad summum est modus, & ideo omnia ista formaliter, & vt sic non

VII.
In passionibus

VII.

in suis, datione, & habitu.

lyns

sunt actiua, sed res, cum quibus identificatur, possunt esse actiua, ut si res, quæ durat, est qualitas, aut vestimentum potest esse actiuum ratione aliquarum qualitatium. Relinquitur ergo, ut inter accidentia sola qualitas sit per se principium agendi. Et ratio reddi potest, quia in primis sola qualitas præter quantitatem habet entitatem propriam re distinctam à substantia, & ideo est propriissime forma accidentalis, & proprius motus, quod necessarium est ad rationem principij agendi, & ut propriam actiuitatem, habeat. Deinde est talis entitas, quæ consequitur formam, & ideo imitatur naturam eius, eique tribuitur, ut ei sit instrumentum aut virtus proxima agendi, præsertim cum substantialis forma per se sola, non sit sufficiens principium proximum huiusmodi actionum.

Vnde quod
liet hanc
actiuitatem
præter
hauriat.

VIII.

Dices: Si hæc ratio valida est, probat omnem qualitatem esse principium alicuius actionis, quia omnis qualitas consequitur formam, & consequenter imitari debet naturam eius. Præsertim, quia sicut forma substantialis est quidam actus, ita & qualitas: omnis vero actus sicut dat esse, ita & operari. Et confirmari potest, quia vnumquodque est propter suam operationem: alioqui frustra esset, ut dicitur secundo, de Cælo, capite 3. & 1. Ethicor. capite 7. Nihilominus dicendum est, neque omnes species qualitatis ab Aristotele numeratas, neque omnes qualitates sub singulis speciebus contentas esse actiua, sed solum tres primas species quoad aliquas qualitates sub eis contentas. Declaro singula: nam in primis ab vltima incipiendo, figura per se non est principium alicuius actionis: ut affirmat communis sententia, quæ sumitur ex D. Thoma 2. 2. quæstione 96. artic. 2. ad secundum, & libro 2. contra Gentes, capite 76. & 3. contra Gentes, capite 105, & his locis Caietani & Ferrariorum, Idem habet Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 5. & Caietanus Thien 4. de Cælo, cap. vltimo, & sumitur ex Aristotele 12. Metaph. capite 3. textu 14. & 6. Ethic. capite 4. & 2. Phys. text. 2. quibus locis ait, arte facta, ut sic non habere principium motus vel actionis. Huius ratio alia non est, nisi quia forma, quæ fit per artem, solum est figura, quæ non est principium agendi. Hinc etiam D. Augustinus 10. libro de Ciuitate, capite 9. & in eorum confutat errorem, qui figuris seu imaginibus astronomiis vim aliquam agendi inesse putabant, inde demonstrans omnia illa heri pacto, & virtute demonum. Ratio autem est quia figura, ut sumitur etiam ex Aristotele, libro primo, Phys. capite 5. textu 46. nihil rei addit, nisi quædam compositionem, aut ordinem partium, ex quo confurgit modus quidam varietatis, qui est figura, & ideo non potest esse principium per se agendi, tum, quia tantum est quidam modus, tum etiam, quia est modus quantitatis, & proprietates consequens illam. Vnde, cum quantitas per se actiua non sit, neque figura esse potest. Et confirmatur tandem, quia nihil est, quod figura per se faciat, quia vna figura non potest aliam similem efficere: neque enim statua facit statuam, neque qualitatem aliquam, vel quidpiam simile facere potest.

IX.

Obiectio.

Dices: Figura saltem ad motum localem multum deferuit acuta incisioni, circularis circulari motui, propter quod Albertus 4. de Cælo, in fine significat, figuram acutam esse vim agendi motum, vel saltem illam cum aliis conditionibus, scilicet, grauitate, & duritie componere illam potentiam, & idem sentit Durandus in 1. distinctio. 45. quæstione 2. num. 8. vbi etiam addit, figuram sigilli esse per se principium similibus figuræ impressæ in cera. Respondetur tamen huiusmodi figuras solum esse dispositiones ex parte instrumenti, aut corporis, ut facilius tali modo moueatur, vel moueat, vel quia ipsum minus resistit, et ab artifice mouetur, ut in motu spheræ, vel, quia ei minus resistitur, ut in motu incisionis: nam quod instrumentum est acutius, et pauciores partes con-

Soluitur.

tingit, & ideo minorem resistentiam inuenit. E contra, quando incisioni fit sine motu corporis scindentis per motum alterius, ut in flumine, ideo acuta figura est dispositio ad illam scissionem, quia deseruit, ut facilius resistat aquæ fluenti, et quod per pauciores partes recte attingit rem acutâ, & ita minor impetum iniprimat. Et ita etiam in figura sigilli, quia quædam partes sunt acutiores aliis, & quædam prominentes, aliæ quasi concauæ, ideo facilius scindunt aut deprimunt quædam partes cære, quam alias, & inde confurgit figura, non quia vna sit per se principium alterius, sed quia motus secundum locum quibuscumque partibus, confurgit talis figura Cuius etiam signum est, quia veluti contrario modo confurgit figura in cera, quam erat in sigillo. Partes enim, quæ eminebant in sigillo, sunt quasi concauæ in sigillato, & e conuerso.

In cæteris autem tribus speciebus qualitatis repertiuntur qualitates actiua. Nam habitus potestiarum sunt principia eliciendi actus, & e conuerso actus (qui in prima etiam specie collocantur, & dispositiones sunt) habitus interdum efficiunt. Potentia vero est actiua, & actiuum & habituum Passibiles etiam qualitates, actiua sunt, ut de calore constat. In omnibus autem his speciebus reperiuntur aliquæ qualitates, quæ non sunt principia agendi, ut in specie habitus, ille qui proxime ordinatur ad aliquod esse, & non ad operari, in quo ordine solet sanitas numerari, quæ satis improprie dicitur habitus. Vnde in naturalibus fortasse nullum est exemplum, quod immerito aliqui adhibent de speciebus intelligibilibus: nam illæ vera sunt principia agendi. In supernaturalibus vero commune exemplum est de gratia, quæ est in essentia animæ: sed certius est de characteribus, de quo alibi. In specie item dispositionis sunt multi actus, qui nihil agunt, quando, scilicet, potentia, vel non indiget habitu, ut in visione, vel non tali, qui possit per actus effici, ut in actibus supernaturalibus. Multi etiam actus non sunt actiui aliorum actuum, neque habitus, ut patet in omnibus sensibus, & in fruitione Dei, & similibus. Potentia item distingui solet in actiuam & passiuam, inter quas passiuam ut sic non est principium agendi, quamquam incertum est, an detur aliqua qualitas, quæ sit pura potentia passiuam, ut suo loco videbimus, vbi etiam tractabimus, an potentia resistendi sit potentia actiua, an passiuam. Inter passibiles etiam qualitates multe sunt non actiua suarum similibus, ut albedo & colores alij, quamuis efficiant intentionales species. Aliæ vero vtrumque efficiunt, ut lux vel calor, &c. Difficile autem est reddere rationem huius varietatis. Generalis esse videtur, quia substantia ad suam consummatam perfectionem indiget tota hac varietate, & ideo diuersas qualitates à natura recepit, quæ pro sua diuersitate ad diuersos effectus ordinantur: vnde quædam instituta sunt ad agendum, aliæ ad informandam vel ornandam substantiam, & quali vltimo expellendam capacitatem illius. Quæ omnia pertinent ad munus formæ, & ideo qualitates, quæ non sunt actiua, neque sunt ociosæ, neque carent aliqua participatione vel convenientia cum forma. Et ita soluta est dubitandi ratio. In particulari vero exponere, quæ qualitates sint huius vel illius actionis, ad hunc locum non spectat.

SECTIO V.

Vtrum sola accidentia sine consensu formarum substantialium efficiant alia accidentia.



Communis modus loquendi in hac materia est, accidentalem formam esse principium proximum: substantialem vero esse principale principium omnium actionum suppositi, etiam accidentium.